



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistola Græca Simonis Lithi Miseni Calvinistæ In Sva Elementa

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1605

Diuisio epistolæ Misenicæ in quatuor præcipuas partes; in contradictiones,
mendaciæ, criminationes, & inanes prophetias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70627)



EPISTOLAE
GRÆCÆ, SED LITHINÆ,
HOC EST, LAPIDÆ ET
ἀνολογίας in sua principia
analysis.

*Divisio epistola Misene in quatuor prae-
cipuas partes; in contradictiones, menda-
cia, criminationes, & inanes
prophetias.*

NON abs re facturus mihi visus
sum, Lithe Misene, si veteres glos-
sographos imitatus, ut illi tex-
tum, quem explicare instituunt,
ita ego epistolam tuam in suas partes disper-
tirem; in contradictiones nimirum, menda-
cia, criminationes, & inanes prophetias, quæ
divisio epistolam tuam, nisi fallor, adæquat,
equè ac *obiectum attributionis* scientiam seu fa-
cultatem, cuius est *obiectum*. De singulis bre-
viter aliquid dicam: ac primò de antilogiis.

A 5 Prima

Prima contradictio. Negat se *tristitia affectum ob Iesuitarum in Galliam reditum; eamque ob causam nulla Consolatione opus habuisse*. At primis statim epistolæ verbis sic scribit: *Diulgato Societatis tuæ reditu in Galliam, sanè moleste (verum enim, ut opinor, dicendum est) illum tuli*. Si moleste tulisti; ergo doluisti; ergo tristitia affectus es. Quid enim est dolere seu tristari, quàm moleste ferre, seu, ut tu Græcè loqueris *πᾶν δυσχερῶς ἔχειν*. Potestne fieri, ut quis amici aut parentis mortem *πᾶν δυσχερῶς* admodum ægrè ferat; & tamen non doleat?

Secunda contradictio. Ait, *ea, quæ cum Iesuitis in Gallia euenerunt: nullam animi ægritudinē sibi attulisse*: Et tamen, palam profitetur; se restitutionem nostram *πᾶν δυσχερῶς*, admodum ægrè & moleste tulisse. An aliquid ægrè & moleste ferre, nulla est ægritudo animi?

Tertia contradictio. Dicit, *se ob id, quod accidit, non valde perculsum esse*. Et tamen idem Misenus eadem manu, qua hæc scripsit, vel illo ipso ore, quo hæc dictauit, simul etiam vel scripsit, vel dictauit; se reditum nostrum in Galliam *πᾶν δυσχερῶς*, valdè moleste tulisse. An qui aliquid admodum moleste fert; non valdè percellitur, præsertim si præter votum & expectationem, id, quod molestiam creat, ei eueniat?

Quarta

Quarta contradictio. Ait, *se non tam dolere, obreditum nostrum, quàm metuere ne reditus noster novas turbas in Gallia excitet.* Et tamen ille ipse Lithus, qui hoc affirmat, simul etiam affirmat, *se ob restitutionem nostram non dolere.* An non dolet; qui non tam dolet, quàm timet? An non famet, qui nō tam famet, quàm fitit? An non fitit, qui non tam fitit, quàm famet?

Quinta contradictio. Ait, *se præclare nosse, quamlibet in rebus omnibus mutationem expectari posse.* Et tamen in secundo suo aduersus B. P. Ignatium scripto; præclare sibi nosse videbatur, mutationem hanc dexteræ Excelsi non posse expectari: Plerophoria enim Caluiniana plenus firmiter sibi persuadebat, in cœlo, & in Gallia iam vltimam, & irreuocabilem sententiam contra Iesuitas latam esse; neque ab vlllo vllam mutationem in melius expectari debere. At nunc quamlibet *mutationem dicit expectari posse.*

Sexta contradictio. Ait, *se non heri vel nudius tertius didicisse naturæ humanae imbecillitatem, & facilem ad contraria conuersionem.* Et tamen iste ipse Misenus in secundo suo scripto vel potius calumniarū sacco certissimus sibi videbatur, nullam amplius Iesuitis, aut Iesuitarum fautoribus conuersionem ad pristinum
statum

statum sperandam aut expectandam esse. Obsecro, quando tandem mutata priore illa tua persuasione, cepisti agnoscere facilem ad contraria rerum conuersionem? Si non heri & nudius tertius, forsan nudius quartus, forsan nudius quintus? & vt grandiozem numerum nominem, forsan nudius decimus.

Septima contradictio. Ait, *sibi perspectum esse, nihil periculi electis*, hoc est, Calvinianis, *imminere, licet Iesuita ex toto orbe in Galliam concurrant*. Et tamen ille idem, qui hoc tam probe nouit, publicè fatetur, se timere, ne Iesuitarum impulsu, & instigatione Calviniani in Gallia non modò premantur; sed & inde exturbentur. Quid times pericula, si electis tuis nihil periculi impendet? Quid metuis, ne Calvinismi cursus præpediatur, si nullum est periculum, ne præpediatur? Quid times, ne Calvinistæ aliqui ad Catholicam fidem reuertantur, si electi tui ab hoc regressu quàm tutissimi viuunt; si, vt inquis, vocè alienam, hoc est, non Calvinianam, non audiunt? Quid times, ne aliqui doctrina & institutione Iesuitarum retrahantur, ne in Calvinismum ruant; si electus, hoc est, Calvinista futurus, nullis retinaculis retineri potest, quominus Calvinista fiat?

Octaua

Octava contradictio. Dicit, *se malè ominari nolle de nostro in Galliam reditu*. Et tamen integram propè pagellam vanissimus augur vanissimis ominibus implevit. Verùm de hoc capite in prophetiis Misenicis.

Nona contradictio. Parlamentum Parisiense vocat *δικαστήριον Σεμνότατον*; interpres Misenicus vertit *iudicium grauisimum*, & tamen Senatores huius *δικαστήριον* & Curie mox nominat *Antichristi mancipia*; quia omnes Catholicos vocat *Antichristi mancipia*; inter Catholicos autem sunt etiam illi Senatores, teste Miseno; qui eos non modò Catholicos, sed & *καθολικωπάτας* appellat.

Decima contradictio. Dicit, *reditum nostrum in Galliam attulisse sibi iram & indignationem; non tristitiam aut dolorem*. At fieri nequit Misene, vt quis irascatur & indignetur; nulloq; dolore afficiatur. Docet hoc experientia. Docet Aristoteles lib. 2. Rhetoricorū: qui odij & iræ differentiam, his verbis tradit: *καὶ τὸ μὲν (ὀργίζεσθαι) μετὰ λύπης. τὸ δὲ (μισεῖν) ἄνευ λύπης, ὅπερ γὰρ ὀργίζομεν & λυπείται, ὁ δὲ μισῶν, ὄχι*. *Ira coniuucta est cum dolore. Odium, caret dolore. Dolet enim qui irascitur; non item, qui odit*. Et initio fermè libri, sic iram definit. *ἔστω ἢ ἡ ὀργὴ, ὀρεξις μὲν λύπης πτωείας φαινομένης, &c. sit igitur ira appetitio vlciscendi cum egritudine coniuncta.*

Vnde-

Vndecima contradictio. Fatetur Misenus, *se plenum esse timore, ne reditus noster Gallie* (hoc est, Caluini sectæ, hanc enim *Gallie* nomine intelligit) *parum emolumentum adferat* : & tamen negat se ægritudine quapiam ob reuocationem nostram affectum esse. Atqui hoc euenire nequit: si affectionum & perturbationum accuratissimo indagatori & inquisitori Aristoteli fidem habemus; qui ita in Rhetoricis, *ἔστι δὲ φόβος λύπη τις ἢ ταρσχι ἐκ φαντασίας μάλιστα κακῆ. Metus est tristitia ex obiecta specie imminentis mali.* Cùm igitur timens tristetur; non abs re consolatione subleuatur. Quare non video, quàm cohæreant illa tua verba: *Non opus fuerat consolatione tua, ad me præsertim, non tam dolentem, quàm metuentem.* An metuenti nulla consolatio adhiberi potest, qua metus velut pharmaco quodam leniatur, vt maxime metus vel in te, vel in quocunque alio ab omni ægritudine animi vacaret?

Duodecima contradictio. Dicit, *reditum nostrum in Gallias sibi non esse admiratione dignum*; hoc est, nullam admirationem peperisse. At primis statim epistolæ verbis, ait, *se, audita Iesuitarum in Gallias restitutione secum animo perpendisse & disquisuisse, quid nam esset in sapientia diuinæ profunditate reconditum, quod Iesuitæ reuocati essent, antiquato Parisiensi decreto.* Quæ,
obsc-

obsecro, huius tuę disquisitionis caussa? Que origo? Nonne admiratio? διὰ τὸ θαυμάζειν, inquit Aristoteles, οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν λόγων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν ἄνω περιόντες, καὶ περὶ τῶν μεζόνων διαπορήσαντες. Propter admirationem ceperunt homines & nunc & primitus philosophari. Initio enim ea, quę ex dubiis & arcanis obuia erant, admirati, postea paulatim eo usque processerunt, ut & de maioribus dubitare inciperent. Idem omnino tibi vsuuenisse absque temeritate existimo. Admiratione enim tactus & captus ob hunc tibi totique gregi Calvinistico tam insperatum euentum; pigram tuam victamq; mentem sursum erigere, & quę huius reuocationis caussa esset, inuestigare ingressus es; nescio tamen num veram caussam inueneris; hoc scio, eam si inuenisti, literis abs te non esse proditam.

Quanquam dum hæc tecum sermocinor, iniuriam fortasse tibi irrogo: cùm enim, ut ipsemet liberè; consultò & præmeditatè factus es; non sis animal risibile; neq; admiratiuum seu θαυμαστικὸν ζῶον eris. nam omne animal admiratiuum est etiam risibile; & omne risibile admiratiuum. Cùm ergo non sis animal risibile; nec admiratiuum censeris poteris, & quod hinc est consequens, nec rationale. Quid igitur

Aristot. 1.
Metaphys.

tur

tur es? Habes, Misene, dodecadem antilogiarum breviculæ tuæ epistolæ. Accipe nunc dodecadem mendaciorum eiusdem tuæ epistolæ.

PSEUDOLOGIÆ MISENICÆ
EPISTOLÆ.

I. Mendacium. *Iesuitas sententia Iurisperitorum Parisiensium, nullo dissentiente, condemnatos fuisse.* Intrepidè dico; hoc esse Misenicum figmentum. certum enim est non paucos ob aduersum Societatis casum vehementer doluisse, & tempestati illi, donec desæuaret, non consensisse; sed coactos celsisse.

II. *Iesuitas fuisse eiectos toto regno.* Atqui ex undecim vel duodecim collegiis Gallie nunquam extulerunt pedem. Nominaui omnia collegia in altera Apologia. Dices. Nos eiectos esse ex tota Gallia decreto & sententiâ. At tu de actu loqueris; & ideo falsum loqueris.

III. *Nos eiectos esse maxima omnium fermè lætitia.* Si de omnibus Calvinistis loqueris, non accuso te mendacij. Poteras tamen illud fermè omittere; quia puto nos maxima non fermè, sed simpliciter omnium Calvinianorum lætitia ex Gallia eiectos esse. Si loqueris de omnibus fermè Catholicis; facis, quod soles;